Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 15. Januarii.

M. PETRO POURRET, unici Regis Fratris Medico ordinario, Doctore Medico, Præside.

CEREBRUM, sensus, motus, rationis, imaginationis, & memoriæ sedes ac domicilium, homini, expresso divinitatis simulachto, & naturæ delitiis, quàm cæteris animantibus, amplius & præstantius datum est, mirabili partium textura, & varietate concinnatum, innumerisque arteriarum rivulis irrigatum, à corde microcosmi fonte, vitæque scaturigine suppeditatis. Quæ dum sese tortuoso piæ matris fulcimento, in penitissimas cerebri partes insinuant, huic convenientem alimoniam, & vitam liberaliter largiuntur ubertate nectaris arteriosi, & spirituum vitalium, in sinistro cordis sinu, nativi caloris foco, benefico respirationis usu, aëris mistura genitorum, materiamque cudendis animalibus spiritibus aptam subministrant, aëris per nares inspirati opera: quibus veluti tot radiis, coruscans anima, universum, momento temporis, irradiat corpus, ad sensum & motum singularum corporis partium, extra cerebri limites, & ad principes edendas functiones, intra cerebri cancellos. Naturalis hæc, sacræ hujus palladis arcis, metropolis frigidi humidi & glutinosi, perturbatur œconomia, pluribus quibus obnoxia est morbis, iisque gravioribus, quo optimi corruptio pessima audit. Inter quos non rarò grassantur, omnesque tam nobilis formæ immortalis, obscurant, & concutiunt facultates, affectus soporosi, coma, Lethargus, Carus, catoche, & apoplexia; quorum omnium causa, morbus similaris, communis, organicus, potissima verò obstructio liberum prepediens spirituum vitalium commeatum, à corde ad cerebrum, & animalium à cerebro ad inferiores partes.

CATAPHORICI isti capitis affectus non leviter inter se discrepant, licet ab iisdem, aut similibus enascantur causis. Coma seu cataphora phantasiæ infirmæ symptoma est in actione imminuta sensus communis, qui torpens spiritus animales ad externos sensus, non nisi ægrè diffundi sinit, nec ab iis accepta agnoscit ac dijudicat objecta; suumque debet ortum vapori aut humori crasso. Coma duplex, somniferum quod simplex est, à difficili expergefactione, in quo pendula æger dormit mandibula; aliud vigil & compositum à pituita & bile in cerebro congestis; quarum mistione monstrum biceps nascitur, typhomania, quasi attonita insania, qua ratione fuit soporatus hermocrates; dignoscitur dormiendi impotentia, jactatione, & delirio; utriusque comatis commune est oculis, veluti somno actissimo connivere. Lethargus sopor est inexpugnabilis cum febre lenta, celeri oblivione, & delirio, à pituita excrementitia, aut pituitoso sanguine, intra cerebri substantiam putrescentibus. Carus apoplexiæ anteambulo atque præludium, sopor gravis est & profundus, qui sensum motumque adimit, libera respiratione, quo uno distinguitur ab apoplexia, nec in paralysim desinit. Oritur ab intemperie frigida & humida calorem nativum obruente, stuporem, & animi ignaviam inducente, ab arctatione ventriculorum cerebri, obductione, oppressione, vel conniventia, interdum à crassis ad caput halitibus elatis, à fumo carbonum, ab odore quandoque & fragrantia, ut de sabæis profertur, à musto consimile accersitur malum, ab ictu, ut male admoto trepano, altius impresso modiolo: ita ut ex attritu ossium ventriculi potissimum antici opprimantur: undè à capitis ictu, stupor malum, & quorum cerebrum concussum aliqua ex causa est, eos repentè obmutescere necesse est. Accidit & musculorum temporum compressione, aut phlegmone. Catoche seu catalepsis, subita quædam est detentio seu occupatio animæ & corporis, qua qui corripitur derepentè in illo permanet habitu, quo correptus est; ita ut symptoma sit in sensuum externorum & internorum, tactus potissimum, ac voluntarii motus abolitione, excepta respiratione: imò præcipua hujus symptomatis idæa in repentina immobilitate & aphonia, cum oculorum inconniventia sita est, à congelatione, & spirituum immobilitate, quam vapor quidam figens invexit, sic cataleptici apertis oculis cernere videntur, ut qui per nives in alpibus obriguerunt.

ΑΠΟΠΛΗΞΙΑ ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττειν à percutiendo nomen habet, quod mens eo morbo concutiatur, & perculsa velut jaceat & intercipiatur. Qui enim ea corripiuntur, veluti syderati, de cœlo percussi, & fulmine tacti corruunt, nullisque mali indiciis, præcurrentibus, repentè concidunt, quasi ἔκστασιν patiantur solo spiritu & pulsu à mortuis distinguntur. Apoplexia est, repentina sensus, motus, omniumque animalium, & principum functionum privatio, quod idem est ac, mentis & universi corporis syderatio, ac resolutio, ab interceptione spirituum. Distinguitur ab epilepsia, in qua non aboletur, sed depravatur facultatis animalis motus, & à syncope; in qua pulsus languet, aut nullus percipitur. Triplex est, maxima seu acutissima, in qua derepentè totum corpus sensu motu, & spirandi munere caret, ac proinde vita, cum viventem respirare necesse sit, quæ statim jugulat, & subita morte perimit. Altera fortis, in qua respirant ægri, cum magna vi, quæ aliquas dat vitæ inducias, brevi ægros interemptura, maximè si cum stertore spuma circa os apparuerit. Tertia, à superiorum comparatione debilis à qua, licet non ita difficilem animam ducant apoplectici, pauci tamen evadunt, quos æquus amavit Juppiter, nec nisi hæredes paralyseos, longorumque morborum, excusso naturæ & artis ope, cerebri humore in partes vicarias, spinalem medullam, & nervorum originem. Plurima, huic malo occasionem præbent: ut alimenta polytropha, habitus athleticus, periculi plenus, nisi sanguinis missione solvatur quam primùm, ingluvies, cruditas, vita deses, somnus, qui, licet dono divum gratissimus, alternas reparet vigilias, si tertiam vitæ partem excedat, cerebrum gravat excrementis, sicut vinum, liberalius epotum, fumis & vaporibus. Insignis quælibet evacuatio, præter naturæ leges seminis, & sanguinis. Suppressio solemnis evacuationis, ut urinæ, cujus in cerebrum refluxus, multoties eam peperit, sicut hæmorroidum, catamineon, lochyorum, hæmorragias. A quibus omnibus, sobolescit apparatus morbosus, ἐμφράξεις, interna morbi hujus, causa.

OBSTRUCTIO, apoplexiam in cerebro parit, ex abundantia, sæpius, quandoque ex vitiosa qualitate succorum, utraque vel separatim, vel simul: dum interceptis, vel compressis carotidibus arteriis, aut rete mirabili arterioso, spiritus vitalis aditu è corde ad cerebrum prohibetur, vel occlusis ventriculis, cerebri, nervorumque principiis, & irrigata ejusdem substantia medullari, spiritus animalis intercipitur, & à cerebro, exitu præpeditur, ad organa sensus & motus, vel apertis sanguinis copia, fervore, impetu, aut disruptis vasis phlogosi laborans cerebrum inundat luxurians sanguis, ita ut ictus sanguinis incautos syderet, celeriterque suffocet. Qui si in minori copia in ventriculos effundatur, non illico vitam plerumque adimit: iisque, ut plurimùm, observantur, faciei rubores, oculorum constantia, manuum porrectiones, dentium stridores, pulsus, maxillarum contractio, refrigeratio extremorum. Obstruuntur & ventriculi, ab humore pituitoso, seroso, melancholico, flatulento; à quibus, impeditis pariter ductibus, per quos fit libera, spirituum animalium diadosis ad inferiores partes, accidit aphonia, cui superveniens febris non parvam salutis spem adfert; inter causas non omittendus tumor coarctans. Huic ergo præcipiti affectui, ejusque variis causis, ut occurrat vir medendi peritus, alter hominis Deus, sedulam adhibeat diligentiam, & festinanter τῶν θεῶν χεῖρας administret, si quæ salus sperari possit, remedia scilicet tam gravi edomando affectui paria, quæ in tribus remediorum generibus posita sunt, avertentibus, discutientibus, & evacuantibus. A capite, tanti mali sede, avertunt, enemata acria, sopitam, & sepultam naturæ, sub humorum pondere gementis, vim excitando, & humores desultorios, huc & illuc fluctuantes, revellendo. Cucurbitulæ, cum profundo scarificatu, humeris affigendæ: magna vesicatoria atque sternutatoria, seto in collo, cum frequenti traductione funiculi. Ligaturæ extremorum dolorificæ. Discutiunt pulvis hieræ, aquæ cephalicæ, admotiones animalium, frictiones, concussiones & commotiones corporis, sal ori immissum. Odores graves, naturam excutientes, qualis ex spiritu ammoniaco paratur, & castoreo, cum aceto. Quæ omnia in præcipiti periculo rectè fiunt, alias omittenda, quæ potiora sunt, quam dulci morte petire. Verùm si hygemonicis conferantur, præsidiis catharsi, & venæ sectioni, levioris erunt armaturæ præsidia. Purgatio, in eadem pituitosa, serosa, melancholica, causas morbificas vacuat, & è longinquo trahit, ex vehementioribus instituenda catharticis, vel emetricis, aut mistis utrisque; à quibus, manus non est removenda, donec, irriguum liberetur cerebrum, aut vires fatiscant, etiam in potu ordinario adhibenda. Vacuat tandem, phlebotomia, in apoplexia, semper, oppressis viribus, non exolutis, præmittenda purgationi. Hæc enim, inter remedia medicinæ palmaria principem locum tenet, sed quæ? proh dolor, stuporis & inscitiæ plena opinio, vulgi animos pervasit, piaculum esse apoplexiam venæsectione curare: à qua longè dissidet, optimus quisque medendi artifex. Is unam in ore habet venæsectionem, in sanguinea, multoties celeriterque iterandam, quia periculum in mora, in aliis verò speciebus, illicò inchoandam curationem ab hygemonico hoc præsidio, mittendumque in minori copia sanguinem pro ratione plenitudinis, virium, temperamenti, ætatis, & sanguinis fluentis impetu.

PHLEBOTOMIÆ celebrandæ, cum veræ indicationes sint, morbi magnitudo, & virium robur. Nemo inficias eat deberi illicò magnum, generosum, & efficax præsidium, huic imminenti, & præsenti, magno, vehementi, peracuto morbo, breviter & periculosissimè sua percurrenti tempora, ut avertatur, & præcaveatur impendens malum, in præviis capitis doloribus, gravi in somnum propensione stupore, vertigine, tinnitu aurium, incubo, segnitie, oblivione, voce tremula, aut imminuta, dentium stridore, paralysi, aliisque futuræ apoplexiæ signis, maximè, si huic affectui, sint opportuni, ut plethorici, brevis & angustæ cervicis. Præsenti vero apoplexiæ, ut percuretur præscribenda venæsectio, quæ vacuat, revellit à partibus affectis, derivat, aperit & solvit obstructionem, illius parentem, aut adjutricem causam, motum præternaturalem sanguinis, & humorum peccantium compescit, & frenat, calorem nativum penè obrutum & suffocatum nimio pondere gravante, & ob interceptum spirituum effluvium, ventilat recreat, & corpus fluidum reddit, ad commodiorem catharsim citra taraxim ullam. Nec solum vena brachii, quæ plurimùm, & velocissime, ex iis quæ principes sunt partibus, educit, tundenda: sed & saphæna, jugularis, vena aut arteria temporalis, ad revulsionem, & derivationem, eaque copia fundendus sanguis, quæ par sit vincendo morbo, inspecta secundum habitum, ætatem, pluris minorisve ratione. Hac arte levata, quæ corpus nostrum regit natura, prima morborum medicatrix, exonerataque parte oneris, quo velut sarcina, premitur reliquam materiam facilius vincit, & à vasis majoribus, regiaque sede, causas morbum committentes ad πεφυκότα deducit, leviorem morbum paritura, occlusas venarum & arteriarum scaturigines expedit, cohærentes meatus & interclusam consensionem reserat, putredinem, si quæ subsit, imminuit, & nequam capiti laboranti infensus humor, minatur ruinam, tandem assequatur, fæliciter avertit, nulla ætas, nulla regio hoc præsidium salutare respuit; cujus flabellatione temperatur peregrinus calor, humores obstruentes torrens, glutinans, & densans, ventilatur sanguis cum præcordiis, & cerebrum, quod spiramentorum obstructio præfocat, impensè recreatur, & levatur: sicque, depleto universo corpore, ejusque vasis patentibus, ut potè liberioribus & expeditioribus, cum εὐφορίᾳ humores excluduntur, purgationis ope, liberiorque redditur intricatorum spirituum excursus; ab hac verò corporis, humorumque temperie & plenioris aëris accessione, non potest jugulari apoplecticus, dum ductus & vasa quæ à copiosiori sanguine intumescebant, per idoneam sanguinis missionem, intra naturæ instituta, subsident, virtus autem sic unita fortior redditur ad humoris noxii exclusionem? quid plura: nonne hæmorroides, apoplecticis supervenientes, salutares, in naturæ operibus: sic arte, & consilio medici, naturæ, rectè agentis æmuli, facta detractio sanguinis in apoplexia, pace celsi dixerim, non occidit, sed liberat, ut ad hanc confugiendum sit tanquam ad sacram anchoram, quod in sanguinea, causam antecedentem & conjunctam tollat, & in aliis speciebus, depleat, ventilet, & revellat.

Ergo venæ sectio non jugulat in apoplexia.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus le Long.
M. Ludovicus Morin.
M. Petrus Lombard.

M. Philippus Matthon.
M. Raymundus Finot.
M. Robertus Raoul.

M. Joannes de Bourges.
M. Michaël de la Vigne.
M. Petrus Perreau.

Proponebat Parisiis PONTIUS MAURIN, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1682.